CANONES CONGREGATIONIS GENERALIS OCTAVÆ.

Authoritate eiuſdem confecti & recogniti, ſeſſ.128. die 13. Aprilis.

1 MVNVS docendi grammaticam,& litteras humaniores,eo fine ac modo, quo Societas ſuſcepit docendas, proprium eſt ipſius miniſterium , nec certo temporis ſpatio definitum,nec certis perſonis addictum:ſed, quandiu Superioribus in Domino videbitur,etiam à Sacerdotibus, atque etiam Profeſſis,exercendum . *ex Dec.8.in MS.ſeſſ.56.*

Munus docendi.

2 Cogantur Congregationes Prouinciales quolibet triennio , more ſolito : & in tertio, quo poſt vltimam Generalem coacta fuerit;eligantur Deputati Romam ituri cum ſuo Prouinciali ad Congregationem Generalem, ex Conſtitutione Summi Pontificis , quolibet nouennio conuocandam . *ex Dec. 10. MS. ſeſſ.59.*

Cogantur Congregationes Generales more ſolito.

Digitized by Google

Non electo Superiore, looo ipſius Miniſter.

3 Abſente vel moriente Superiore alicuius loci, huius cura ad Miniſtrum pertinet: etiam in Domibus Profeſſis, quamuis ipſe Profeſſus non ſit. Licebit nihilominùs Superiori, cùm Domo aut vita excedit, alium nominare, qui eam curam habeat: ſi Prouincialis citò moneri non poſſit, aut alia grauis cauſa id ſuadeat. *ex Dec.20. in MS.ſeſſ.*84.

Renouatio Votorum poteſt habere vim primæ nuncupationis.

4 Quod in Conſtitutionibus dicitur: *Renouare Vota, non eſt obligatione noua ſe obſtringere; ſed eius, qua obſtricti ſunt, recordari*: intelligendum eſt (vt hactenùs intellectum fuit) quando renouatio priori ſuperuenit obligationi: non verò quando nullam inuenit obligationem. Et hoc ipſum in Regulis Magiſtri Nouitiorum exprimendum eſt: & ab eodem Magiſtro apertè explicandum Nouitijs, cùm Vota poſt biennium debent emittere. Vt intelligant, renouationes Votorum, à ſe deinceps de more Societatis faciendas, habere vim primæ nuncupationis: ſi fortè, ex defectu ætatis, biennij, alijſque ſimilibus, iam ceſſantibus, prima Vota vim ſuam non obtinuerint. *ex Dec.22. in MS.ſeſſ.*85.

Abſolutio reſeruatorum, in paruis Collegijs & Reſidentijs.

5 Cùm in paruis Collegijs, aut Reſidentijs, in quibus quatuor aut quinque morantur ex noſtris, difficilè poſſit Confeſſarius ſaluo ſigillo ad Superiorem recurrere pro facultate abſoluendi à reſeruatis; abſoluat cum onere præſentandi ſe Prouinciali, aut alteri Superiori, ſi breui ſit in eius Collegium

gium

gium aut Domum diſceſſurus. *ex Dec.25.in MS.ſeß.88.*

6 Profeſſio emiſſa in manibus alicuius Prælati, cui honoris cauſa Prouincialis id detulit, cùm ipſe præſens eſſet, vel præſentes alios Profeſſos haberet; nullius eſt valoris, ob defectum poteſtatis in admittente. Quia facultas Prouincialibus delegata, ex Generalium intentione, non ſemel eorumdem reſponſis expreſſa, ad eiuſmodi caſum non extenditur. *ex Dec.34.in MS.ſeſſ.97.* *Profeſſio in manibus Prælati.*

7 Facultas abſoluendi à reſeruatis Superiores locales, ſi quando (quod Deus auertat) in aliquem inciderent; committatur liberè vni ex Confeſſarijs Collegij vel Domus, à Prouinciali deſignato. *ex Dec.25. in MS.ſeſſ.88.* *Abſolutio reſeruatorum quoad Superiores locales.*

8 Denique ſimilis facultas, abſoluendi Prouincialem eius Socio abſolutè conceditur. *ex Dec.25.in MS.ſeſſ.88.* *Quoad Prouincialem.*

9 Prouinciales, ſine Generalis diſpenſatione, non habent facultatem admittendi ad Probationem ante 15.nec ad Vota Societatis ante 17.expletos annos: ita vt irritum ſit, defectu poteſtatis, quidquid contrà fuerit factum. *ex Dec.35.in MS.ſeſſ.103.* *Quãdo Prouincialis ad mittet ad probationẽ.*

10 Examinatores ad Profeſſionem, ſuo in ſuffragio explicent, an ſaltem mediocritatem attingant illi, qui non habent tantum doctrinæ, quantum neceſſarium eſt ad Profeſſionem quatuor Votorum. Vt videant *Examinatores ad Profeſſionem explicent ſuffragium.*

Superiores, num habenda ſit ratio aliorum talentorum. *ex Dec.37. in MS.ſeſſ.104.*

De iuramẽto circa aptitudinem docendi.

11 Quod dicitur in formula iuramenti eorumdem Examinatorum de doctrina neceſſaria ad Philoſophiam ac Theologiam cum ſatisfactione docendam: intelligendum eſt in ijs locis, in quibus eſt idoneorum auditorum ac diſputantium concurſus. *ex Dec. 37. in MS. ſeſſ.104.*

Suffragia quoad Profeſſionem, et Theologiam

12 Nemo deinceps cẽſeatur habere doctrinam neceſſariam ad Profeſſionem quatuor Votorum, qui non tulerit quatuor Examinatorum tria ſuffragia clara, & minimè dubia. Totidemque requirantur, vt auditores Theologiæ à ſecundo ad tertium, & à tertio ad quartum annum pergere poſſint. Nam, vt à primo ad ſecundum tranſeant, duo ſufficient. *ex Dec.37. in MS.ſeſſ.47.*

Theſes pro Profeſſionẽ.

13 In examine ad Profeſſionem aſſignandæ ſunt Theſes à Superiore cum Præfecto: & omnibus ad ſeſe parandos præſcribendi quatuor menſes: vltra quos ſi differatur examen, Concluſiones ab eodem Superiore cum Præfecto mutandæ erunt. Singuli autem (licet non neceſſariò à ſingulis) tàm in Philoſophia quàm in Theologia, examinandi erunt. *ex Dec.37. in MS. ſeſſ.128.*

Mediocres in Theologia

14 Prouinciales ſtatuere poſſunt, vt qui in Theologia mediocritatem attigerint, in eo ſtudio progrediantur: modò præclara ad gubernandum, aut concionandum, talenta

ha-

habeant: *ex Dec.37 in MS.ſeſs.128.*

15 In examine Metaphyſicorum, quinque de eorum doctrina iudicium ferent: & neceſſaria erunt tria ſuffragia, vt ad Theologiam admittantur. *ex Dec. 37. in MS. ſeſs. 128.*

Examen Metaphyſicorum.

16 Superiores locales nemini ab exercitijs ſpiritualibus, quotannis per octiduum obeundis, immunitatem dare poſſint: & ſoli Prouinciales rationes audiant, quibus aliquis videatur excuſandus. *ex Dec.38.in MS. ſeſs.106.*

Exercitia ſpiritualia.

17 Puncta matutina Meditationis omnibus Fratribus Coadiutoribus dentur à Præfecto rerum ſpiritualium, vel alio à Superioribus deſignato. *ex Dec. 38. in MS. ſeſs.112.*

Puncta Meditationis pro Fratribus.

18 Facultas commutandi legata, vel etiam à viuentibus donata, de qua eſt mentio in Comp. Priuil.V. Commutatio, §. 4. reſeruatur Generali. *ex Dec. 41. in MS. ſeſs. 115.*

Commutatio Legatorum.

19 Mortuo, vel legitime impedito, & declarato, durante Congregatione Prouinciali, aliquo ex electis pro Congregatione Generali; eligendus eſt alius, poſtremo loco ſubſtituendus. *ex Dec.42.in MS. ſeſs. 116.*

Mortuo, vel impedito electo pro Congregatione Generali.

20 Officium & authoritas Superiorum localium; atque adeò triennium eiuſmodi Præfecturis definitum; inchoatur à die authenticæ renunciationis ipſorum in Colle-

Triennium Superiorum localium.

gio, vel Domo, quibus præficiuntur: ſiue ipſi præſentes ſint, ſiue abſentes. *ex Dec.*43.*in MS.ſeſs.*116.

Dimiſſiones quoad Vicarium.

21 Mortuo Generali, Vicarius habeat poteſtatem dimittendi è Societate Profeſſos, & Formatos: qua, non niſi ex cauſis grauiſſimis, & ad plura cum Aſſiſtentibus ſuffragia: vti poſſit. *ex Dec.*46.*in MS.ſeſs.*125.

Procurator Generalis ſupra numerum.

22 Procurator Generalis Societatis, in Congregatione Prouinciali ſuffragium actiuum habeat ſupra numerum. *ex Dec.*48. *in MS.ſeſs.*125.

Congregatio Prouincialis

23 Ex omnibus Superioribus Reſidentiarum Indicarum (quas alicubi vocant Doctrinas) ei, qui primariam, Prouincialis iudicio deſignandam, adminiſtrat: liceat adeſſe Congregationi Prouinciali ſupra numerum, quando iure antiquitatis intereſſe non poteſt. *ex Dec.*51.*in MS.ſeſs.*126.

Congregatio Prouincialis. Iudicium de impedimentis.

24 Idipſum, & eadem ratione, conceditur Superiori totius Miſſionis Hollandicæ. *ex Dec.*51.*in MS.ſeſs.*126.

25 Cùm Prouincialis cum ſuis Conſultoribus, qui aderunt. & ceteris omnibus præſentibus, qui in Congregatione Prouinciali ius ſuffragij habent (excluſo iuxtà formulam eo, de cuius impedimento agitur, & in poſterum etiam eo, qui proximè ſubrogandus eſt, ſi prior impeditus cenſeatur) iudicat, impedimentum adeundi Congregationem Generalem eſſe legitimum, & adeſſe

con-

Digitized by Google

congruum tempus ad hoc ipſum iudicium de impedimento ferendum; tali iudicio acquieſcendum eſt, nec cenſendum, ius vllum ad Congregationem Generalem, aut Procuratorum, ſic iudicatis relinqui: vti etiam, qui ab adeunda Congregatione Prouinciali prædicto modo cenſentur impediti, omni iure excidunt ad eam accedendi: &, ſi re ipſa veniant, admitti non debent. *ex Dec.* 52. *in MS. ſeſſ.* 28.

26 Procuratores Indiarum, qui in Prouincijs Luſitaniæ, ac Bœticæ commorantur; minimè admittendi ſunt ad Congregationem Prouincialem pro Generali futura conuocatam, eo ſolum nomine, quòd Procuratores ſunt. At vero admitti debent, ſi ſint quatuor Votorum Profeſſi: & ratione antiquitatis haberent ius ſuffragij in illis Prouincijs, in quibus verſantur, & in ſuis etiamſi adeſſent. *ex Dec.* 53. *in M.S. ſeſſ.* 128.

Qui admitti non debeant in Congr. Prouinciali.

27 Prouinciales facultatem habent faciendi contractus in bonum Prouinciæ, vel Collegiorum, aut Reſidentiarum ſuarum: ſicque intelligenda eſt Regula Prouincialis 9. At, quàmuis id validè poſſint; nullo tamen modo facere debent, contradicente, aut etiam inconſulto Superiore locali, niſi vrgens neceſſitas contrarium ſuaderet: in quo caſu, monere debebunt Generalem, quas ob cauſas id fecerint. *ex Dec.* 54. *in MS. ſeſſ.* 128.

Contractus quoad Prouinciales.

Digitized by Google

Declaratio Cap. primi §. 14. Ord. Generaliū.

28 Quod præſcribitur cap. 1. §. 14. Ordinat. General. Collegia, quæ poſſunt alere 12. Scholares, nullas eleemoſynas admittere poſſe: non aliam obligationem, quàm ſimplicis Conſtitutionis, inducit. *ex Dec.* 59. *in MS. ſeſſ.* 128.

Digitized by Google

CANONES CONGREGATIONIS NONÆ GENERALIS.

1 QVi Societatem, eiuſque viuendi, aut gubernandi modum, vel Superiores, libellis ſcriptis, aut impreſſis traducunt: quique ita palàm, ac paſſim de Inſtituto obloquuntur, vt cenſeri poſſint velle alios in ſuam ſententiam pertrahere, Societatis perturbatores & pœnis in perturbatores conſtitutis obnoxij cenſeantur. Idem ſtatuendum de iJs, qui per factiones, & auxilia externorum, nouas *Prouinciarum* diuiſiones extorquere, aut legitimas impedire conantur. *Ex Dec.* 5. *&* 25. *in MS. Act.* 12. *&* 27. *&* 37. *Perturbatores Societatis.*

2 Fugitiui Societatis ipſo facto excommunicationem incurrunt. *Ex Dec.* 27. *in MS. Act.* 39. *Fugitiui ex communicati ipſo facto*

3 *Profeſſi* omnes, vi voti, quod emittunt, denunciandi ambientes, tenentur ad denunciandos omnes, etiam non *Profeſſos*. *Ex Decr.* 13. *in MS. Act.* 17. *Profeſſi tenentur ad denunciandos ambientes, etiā non Profeſſos.*

Præ-

Præcepta Superiorum durent donec reuocentur.

4 *Præcepta* in virtute S. Obedientiæ particularibus perſonis impoſita, mortuis, vel officio defunctis ijs, qui impoſuerant, vim ſuam retinent, donec à Succeſſoribus, vel eorum Superioribus reuocentur. Monentur tamen Superiores, ne ſine graui cauſa talia præcepta imponãt. *Ex Dec.* 12. *in MS. Act.* 17.

Caſus reſeruati.

5 Intelligant Noſtri, caſus omnes in Decreto Clementis VIII. reſeruari permiſſos, eſſe, & hactenùs fuiſſe in Societate reſeruatos. *Ex Dec.* 43. *in MS. Act.* 59.

Declaratio authentica Superiorũ.

6 Authentica Superioris declaratio, vnde triennium incipit, ſi in loco, vbi præficitur, fieri non poſſit, & neceſſitas vrgeat; fiat vbi maior pars ſubditorum reperitur: vel, ſi id nequeat, vbi *P*rouinciali videbitur. *Ex Dec.* 10. *MS. Act.* 15.

De Prouinciali inutili, intra Europam.

7 In Prouincijs Europæ, extra Italiam, & Inſulas adiacentes conſtitutis, ſi Prouincialis inutilis ad gubernationem Prouinciæ indubitato omnium Conſultorum iudicio, cenſeatur, nec poſsit, aut velit Vice-Prouincialem nominare, regendam Prouinciam ſuſcipiat, qui de iure mortuo ſuccederet: qui tamen in iudicio eiuſmodi, etiam ſi Conſultor ſit, locum non habebit. Ad Conſultores, ſi abſint à loco, vbi Prouincialis degit, Superior eiuſdem loci, & Socius Prouincialis informationẽ mittet. *Ex Dec.* 11. *in MS. Act.* 16.

De Prouinciali, vel Viſitatore inutili, in Indijs

8. §. 1. In Indijs, ſi eiuſmodi caſus accidat, Viſitator de tota re, auditis Conſultoribus,

bus,iudicet: nullo autem Viſitatore exiſtente,Conſultoribus addantur tot Profeſſi antiquiores præſentes, aut viciniores , quot ad conficiendum ſeptenarium neceſſarij erunt: monente ceteros Socio Prouincialis,vel,ſi is abſit,inter præſentes Profeſſos antiquiſſimo.

§. 2 De Viſitatore, in ſimili caſu, totidem eodē modo iudicent:inter quos,quoad fieri poterit,ſit Prouincialis (cum vnico tamen ſuffragio) cuius erit monere ceteros: eique iudicio omnes Prouinciæ, quarum Viſitator eſt, acquieſcant.

§.3 Vt verò Prouincialis in hoc iudicio, ſeu Viſitator cenſeatur inutilis , quinq; ſaltem conſentire debent: quo caſu,aperiantur ab ijſdem literæ ſequentis gubernationis, & executioni mandentur: quæ ſi nullæ ſint, in Prouincialis munere ſuccedet, qui de iure debet:Viſitatoris verò munus omnino ceſſabit. *Ex Dec.40. in MS. Act. 55.56.*

9 Munus illud ordinarium , quo Congregatio VII.Decreto 72. MS.ait aliquem alicui Prouinciæ à Patre Noſtro applicari ; eſt quodcunque Societatis fixum , & ſtabile miniſterium, ab eodem impoſitum, ad eam tamen Prouinciam, cui fit applicatio , propriè ſpectans : ſiue ad definitum tempus imponatur , quale eſt Prouincialis, Præpoſiti , Rectoris &c.ſiue ad tēpus indefinitum,quale eſt munus Procuratoris, Lectoris Theologiæ &c. Abſoluto autem munere,quod præ- *Declaratio Muneris ordinarij.*

fixum

fixum à iure vel conſuetudine terminum habet; applicatio ceſſabit: ex mutatione aliorum non item. *Ex Dec.33.in M.S. Act.46.47.*

V.Præpoſiti vel V. Rectores non ſuccedunt Prouinciali morienti.

10 Mortuo Prouinciali ſine deſignatione V.Prouincialis, non ſuccedet illi V.Præpoſitus, aut V.Rector maximi Collegij: ſed ſuccedent alij, quibus id de iure competit, ac ſi ipſi non eſſent. *Ex Dec.35.in MS. Act.48.*

De Electoribus Vicarij

11 Mortuo Generali ſine nominatione Vicarij, ius eligendi Vicarium habent Profeſſi, qui apud Generalem ſunt, hoc eſt, qui in eadem Vrbe fuerint. In eiuſmodi verò electione Aſſiſtentes, quotquot præſentes ibidem aderunt, ſecluſa etiam Profeſſionis antiquitate, locum intra numerum habent. *Ex Dec.34. in M.S. Act.47.*

De ſupplendo loco Prouincialis abſentis in Congr.Gen.

12 In Congregatione Generali, abſente ab initio quacunque ex cauſa Prouinciali, in eius locum ſuccedat ex præſentibus Electoribus, & inter Prouinciales ſedeat, qui de iure illi mortuo ſuccederet: ſeruato tamen loco Prouinciali, & cuicunque alteri potius ius habenti, ſi poſtea aduenerit. *Ex Dec.16. in M.S. Act.21.*

De Procuratoribus Indiarum.

13 Procuratores Indiarum, quamdiu ex conſenſu Patris Noſtri in Europa mãſerint, officium retinebunt, & ius ad Congregationes Generales, etiam ſi vni interfuerint. At, vbi alius Procurator ex eadem Prouincia aduenerit, prioris procuratio ceſſabit, & omne ius, quod illi competit, vt Procurator eſt,

ab-

abſtrahendo ab omni alio iure ſi quod eſt. *Ex Dec.36. in M.S. Act.49.& 52.*

14 Subrogatio in locum abſentis in Cõgregatione Prouinciali locum habeat, donec omnes omnino electiones perfectæ ſint, etiã Subſtitutorum. *Ex Dec.9.in M.S. Act.15.* *Subrogatio in locum abſentis in Congr.Prou*

15 Aſſiſtentes officio perfuncti ad Congregationes omnes Prouinciales ſuæ Aſſiſtentiæ admitti debent, etiam ſi fortè per antiquitatem Profeſſionis locum in illis non haberent: ſed in hoc tamen caſu, extra numerum. *Ex Dec.15.in MS.Act 20.* *De Aſſiſtentibus officio defunctis.*

16 Viſitator, Generali demortuo, ſi adire voluerit Congregationem Prouinciæ, in qua tum fuerit; extra numerum ingredietur. Admitti verò in illam tum ſolùm debet, quando & in illa Prouincia, ſi ex ea eſſet, ſuffragij ius ratione Profeſſionis haberet, & in ſua itidem, ſi adeſſet. Rediens ad ſuam, non niſi poſita Profeſſionis antiquitate, & intra numerum, in Congregatione locum habebit. *Ex Dec. 28.in M.S. Act.39.& 30.* *De iure Viſitatoris ad Congr.Prou*

17 Si contingeret aliquem eſſe reum de ambitu in Congregatione Prouinciali, Iudicum ſententiæ ſine appellatione acquieſcere debet: de iniuria tamen (ſi factam ſibi exiſtimet) licebit illi apud P.Generalem expoſtulare. Recuſans aliquos ex Iudicibus ordinarijs, à reliquis (vocatis in recuſatorum locum totidem antiquioribus Profeſſis) de recuſandi cauſa audiatur: &, ſi hæc iuſta videbi- *De appellatione, vel recuſatione Iudicum in Congr.Prou*

bitur, ab ijſdem de ambitu iudicetur: alioqui, ad Iudices deſignatos in Formula reijciatur. *Ex Dec.20.in MS. Act.26.*

Informatores quatuor tantùm.

18 Cùm vſus habeat, vt ad informationes tam ad gubernandum, quàm ad gradus, quaterni tantùm Informatores adhibeantur; hic numerus retineatur. *Ex Dec. 37. in MS. Act.49.*

Proponendi ad Profeſſionem Votorũ quatuor ſuperent mediocritatem in virtute.

19 In conficiendis informationibus ad gradum, illud accuratè ab omnibus expendatur, an is, de quo agitur, in virtute mediocritatem excedat, deque eo capite, priuatis in literis, Prouincialis, & Conſultores diſtinctè Patri Noſtro præſcribant. Excedere autem ille tantùm cenſendus eſt, qui vt plurimùm ſecundùm virtutem operatur, & putatur in difficilioribus idem ſeruaturus, leuiores culpas vitat, admonitiones, & pœnitentias libenter ſuſtinet, ijſque corrigitur, Superioribus denique, ac domeſticis, in moribus ſatisfacit. *Ex Dec.6. in M.S. Act.13.*

Tempus proponendi ad Profeſſionẽ Votorum quatuor.

20 *Prouinciales* ordinaria lege in proponẽdis ad Profeſſionem quatuor votorum hanc regulam obſeruabunt: Vt eos, qui ante ingreſſum in Societatem ſtudia omnia abſoluerunt, ante decimum annum currentem; eos verò, qui ſtudia omnia in Societate peregerunt, ante decimumſeptimum annum currentem, non proponant, neque vlteriùs differant. Reliquos, qui ſtudia Philoſophiæ, aut Theologiæ partim ante ingreſ-

ſum

ſum in Societatem, partim in Societate decurrerint, intra prædictos duos terminos, citiùs, aut tardiùs proponant, pro ratione annorum integrorum, quibus ante ingreſſum ſupradictis ſtudijs operam dederint. *Ex Dec.42. in M.S. Act.57.*

21 Quotidianis Sanctorum Litanijs Hymnus Aue maris ſtella, Antiphona Sub tuum præſidium, Oratio Defende, &c. adiungantur. *Ex Dec.7. in MS. Act.13.* *Cultus quotidianus B. Virg.*

22 In Miſſis, ac Veſperis, quando cantantur in noſtris Eccleſijs, in Sacramentorum adminiſtratione, & alijs Officijs Eccleſiaſticis, ritus vbique Romanus ſeruetur, ita vt nihil illi contrarium fiat. *Ex Dec.19. in MS. Act.26.* *Ritus Romanus ſeruandus vbique.*

23 In obitu eorum, qui Aſſiſtentes fuere, præter Sacra ordinaria, tria pro ipſis à Sacerdotibus, totidem verò Coronæ ab alijs: per totam eorum Aſſiſtentiam dicantur. Pro ijſdem, in reliquis Societatis Prouincijs; pro Prouincialibus, in Prouincijs, quas gubernarunt: pro Secretario Generali, in tota Societate, vnum Sacrum fiat, & vna Corona recitetur. *Ex Dec.23. in MS. Act.27.* *Suffragia extraordinaria pro Aſſiſtentibus, Secretario, & Prouincialibus.*

CANONES CONGREGRTIONIS GENERALIS DECIMÆ.

Adminiſtrati, bonorũ. 1 NEmo permittatur vllo prætextu ſuorum bonorum nec adminiſtrationem, nec liberum vſum retinere, etiam illo quadriennio, quo, cum facultate, bonorum dominium retinet. Decr. 2.

Subſtituti in Congreg. Prouinciali. 2 In quacunque Congregatione Prouinciali non ſolum electi, qui in Congregatione locum non habuerunt, ſed etiam ſubſtituti vocandi ſunt, ſi commodè fieri poterit poſt electiones, ad negotiorum tractationem. Decr. 3.

Facultates Vicarij. 3 Habet Vicarius Generalis omnem poteſtatem, & facultates ad gubernandam Societatem, quas habet Præpoſitus Generalis, exceptis ijs, quæ in officio Vicarij excepta ſunt, nec à Cõgregationibus poſterioribus ſunt conceſſa: & ad illius intentionẽ dici debet Miſſa hebdomadaria, ſicuti ſolet dici ad intentionẽ Generalis ipſo viuente. Dec. 8.

Nomi-

4 Nominati ad regimen à Generali demortuo, & non audita eius morte, onus deprecantes, ſi videantur Vicario, & Aſſiſtentibus iuſtas afferre deprecationis cauſas; in priori ſtatu maneant, nec vllo fruantur Superiorum priuilegio, donec aliud à nouo Generali ſtatuatur. Decr. 9. *Superiores nominati à Generali defuncto.*

5 Si contingat ante inchoatam Congregationem, cùm iam omnes Electores, vel duæ tertiæ aduenerunt, vel inchoata iam Congregatione, non dum tamen facta electione, P. Vicarium è viuis decedere; antiquiſſimis Aſſiſtentium Congregationi, & electioni præſidebit. Decr. 10. *Præſes Congregationis, moriente Vicario.*

6 In Congregationibus Prouincialibus ſuffragia videri ſemper debent tam à Secretario, quàm à Prouinciali: neque vnquam publicari niſi à duobus ſaltem viſa fuerint. Decr 12. *Suffragia in Congregation Prouinciali.*

7 Si vnus, aut alter Examinatorum ex publicis de tota Theologia diſputationibus iudicium formare non poſſit de ſufficienti ad profeſſionem doctrina reſpondentis, quorum tamen ſuffragium ad hoc tamen ſuffragium inquirat ab vno item, aut altero ex ijs, qui fortè diſputationibus interfuerunt, viris grauibus, eruditis, & iuratis. Quòd ſi ne hoc quidem ſufficiat, recurratur ad examen, idque quàm primùm, iuxta dicta in Decreto 13. *Examinatores ad Profeſſionē.*

8 Ordinarijs Sanctorum Litanijs, quæ

 quo-

Oratio de SS. Ignatio, & Xauerio.

quotidie recitantur, addatur poſt Orationem, Defende quæſumus &c. Oratio, Deus, qui glorificantes &c. in honorem Sanctorum Ignatij, & Franciſci Xauerij. Decr. 14.

Interceſſiones externorum.

9 Primam partem præcepti P. Mutij piæ mem. de non procurandis externorum interceſſionibus, aliquibus tantùm Prouincijs impoſitam, extendit ad omnes Prouincias, eamque ſuo Decreto confirmat hæc Congregatio, cum ijs cautionibus, quas adhibuerunt 8. & 9. Decr. 18.

Digitized by Google

Index eorum, quæ continentur in Canonibus Congregationis Generalis Octauæ, Nonæ, & Decimæ.

AMbientes *etiam non Profeſſos tenentur Profeſſi vi voti denunciare. IX. 3. appellationes reorum de ambitu non ſunt admittendæ in Congregatione Prou. ſecus de recuſationibus ex iuſta cauſa. IX.* 17.

Aſſiſtentes *officio perfuncti locum habent in Congregatione Prou. ſuæ Aſſiſtentiæ. IX.* 15. *pro iiſdem in morte fiunt ſuffragia extraordinaria. IX* 23.

Bonorum *Adminiſtratio, & liber vſus Noſtris, qui adhuc eorum dominium retinent, non permittatur. X.* 1.

Caſuum *reſeruatorum abſolutio in patriis Collegiis & Reſidentiis cuinam commiſſa. Oct. 5. & cui pro Rectoribus; & Prouincialibus. Oct. 7. & 8. Caſus omnes in Decreto Clementis VIII. numerati in Societate ſunt reſeruati. IX. 5.*

Coadiutoribus *fratribus matutinæ meditationis puncta tradi debent. Oct. 17.*

Collegia *an poſſint admittere eleemoſynas. Oct. 28.*

In Congregatione *Generali quamdiu retineant ius ſuffragii Procuratores Indiarum. IX. 15. quis ſuppleat locum Prouincialis abſentis. IX. 12. Vicarii mortui locum quando ibi ſuppleat antiquiſſimus Aſſiſtentium. X. 5.*

Congregationes Prou. *Congregentur, vt moris eſt, poſito Breui Innocentii Pontificis. Oct. 2. ſi electus ante finem Congregationis declaretur impeditus, eligatur alius vltimo loco ſubſtituendus Oct. 19. Superiores Primariæ Reſidentiæ Indicæ, & totius*

Miſsinis Hollandicæ admittendi ad Congregationem Prou. Oct. 23. & 24. *Item Procurator Generalis Societatis ſupra numerum.* Oct. 22. *Procuratores Indiarum in Luſitania & Bætica quando ſint admittendi.* Oct. 26. *Aſsiſtentes officio perfuncti locum habent in Congregatione Prou. ſuæ Aſsiſtentiæ.* IX. 15. *Viſitator vi muneris non habet ius ad eam.* IX. 17. *qui cenſentur legitimè impediti, nullum deinde ius ad illam habent.* Oct. 25. *donec compleantur omnes electiones etiam ſubſtitutorum, fit ſubrogatio aliorum in locum abſentium.* Oct. 14. *Subſtituti vocandi ſunt ſi commode fieri poteſt, ad negotiorum tractationem.* X. 2. *ſuffragia nunquam publicanda, niſi à duobus viſa.* X. 6.

Cultus quotidianus Deiparæ. IX. 21. 55. *Ignatij & Franciſci.* X. 8.

Electio *Vicarij Generalis quibus Profeſsis competat.* IX. 11.

Examinatores *ad Profeſsionem explicent, an examinatus mediocritatem attigerit.* Oct. 10. *quomodo eorum iuramentum de doctrina intelligatur.* Oct. 11. *quot ad Profeſsionem ſuffragia, quot ad Theologiæ annos requirantur.* Oct. 12. *quot in examine Metaphyſicorum.* Oct. 15. *a quibus aſsignandæ theſes ad examen profeſsionis, & quando mutandæ.* Oct. 13. *ſi iudicium formare nequeant ex publicis diſputationibus, quid agendum.* X. 7.

Ab Exercitijs *ſpiritualibus annuis eximere quemquã nequeunt Superiores locales.* Oct. 16.

Fugitiui *è Societate incidũt in excommunicationem.* IX. 2.

Ad Gradus *& ad Gubernandum ſufficiunt quatuor Informatores.* IX. 18.

Hu-

Humaniores *litteras & Grammaticam docere munus eſt Societatis*. *Oct*. 1.
Intercceſſionis *externorum procuratio omnibus Prouincijs prohibita X*. 9.
Legata *commutandi facultas eſt penes ſolum Generalem Oct*. 18.
Magiſter *Nouitiorum ijs explicet vim renouationis Votorum*. *Oct*. 4.
Miniſter *locum tenet Superioris abſentis aut mortui, niſi iſte alium nominaſſet*. *Oct*. 3.
Munus *ordinarium, quo fit applicatio Noſtrorum alicui Prouinciæ, quodnam cenſendum*. *IX*. 9.
Perturbatores *Societatis quinam cenſendi*. *IX*. 1.
Præcepta *durant etiam mortuo vel amoto Superiore, qui impoſuit*. *IX*. 4.
Procurator *Generalis habet ſuffragium actiuum in Congregatione Prou*. *Oct*. 22.
Procuratores *Indiarum quamdiu habeant ius ad Congregationem Generalem*. *IX*. 13. *ijdem degentes in Luſitania & Bætica quando admittendi ad Congregationem Prou*. *Oct*. 26.
Ad Profeſſionem *quatuor Votorum quando quis proponendus*. *IX*. 20. *requiritur exceſſus in virtute ſupra mediocritatem*. *IX*. 19. *quot ſuffragia pro doctrina requirantur*. *Oct*. 12. *à quibus aſſignādæ theſes, & quando ſunt mutandæ*. *Oct*. 13. *Profeſſio in manibus Prælati quando inualida*. *Oct*. 6.
Prouincialis *iudicat, an ob talenta progredi in Theologia poſſit, qui mediocritatem attingit*. *Oct*. 14. *à quo poſſit abſolui de caſibus reſeruatis*. *Oct*. 8. *non habet facultatem admittendi ad Probationem ante decimumquintum, & ad vota ante decimumſeptimum ætatis annum*. *Oct*. 9. *iudicat cum*
alijs

Digitized by Google

alijs de impedimento adeundi Congregationem Generalem. Oct. 25. quomodo poſſit facere contractus in bonum Collegiorum. Oct. 27. Prouincialis abſentis locus à quo ſupplendus in Congregatione Generali. IX. 12. quid agendum, ſi fiat inutilis in Europa, & quid in India. IX. 7. & 8. quinam de eius inutilitate iudicent in Indijs, IX. 8. Prouinciali mortuo non ſuccedunt VicePrapoſiti, aut ViceRectores. IX. 10. pro eo fiunt extraordinaria ſuffragia. IX. 23.

Renouatio *Votorum aliquando habet vim primæ nuncupationis Oct. 4.*

Ritus Romanus *in Ceremonijs Eccleſiæ vbique ſeruandus. IX. 22.*

Secretario *Societatis mortuo fiunt ſuffragia extraordinaria. IX. 23.*

Superiori, *cum domo, aut vita excedit, licet nominare alium à miniſtro, qui curam domus habeat. Oct. 3. à quo poſſit abſolui de caſibus reſeruatis. Oct. 7. eius officium quando incipiat. Oct. 20. quæ non ſit eius autentica renunciatio. IX. 6. neminem ab exercitijs ſpiritualibus annuis eximat. Oct. 16. ſi nominatus Superior, poſt mortem Generalis onus deprecetur, quid faciendum. X. 4.*

Vicarius *Generalis, mortuo Generali, poteſt dimittere Profeſſ s. Oct. 21. à quibus eligatur ſi non fuerit à Generali nominatus. IX. 11. quanta eius poteſtas. X. 3. eius defuncti locum quando ſuppleat antiquiſſimus Aſſiſtentium. X. 5.*

Viſitator *non habet ius ad Congregationem Prouinciæ muneris. IX. 16 ſi fiat inutilis in Indijs, quis id declaret, & quid agendum. IX. 8.*

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google